



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Patrocinium Defunctorum

Hautin, Jacques

Leodii, M.DC.LXV.

Articulus I. Dissertur generatim de Orationis ad opem defunctis ferendam
efficacitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79679](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79679)

Interea Rector domi preces nostris à somno excitatis indicit ante Venerabile Sacramentum palam expositum; tum defunctam sequitur Augustinus in silentio. Cùm peruentum est ad pontem quemdam, iussit defunctus Augustinum expectare, donec regrederetur, ac paulò post cum marsupio numinis gravi, quod manu tenebat, *Explica, ait, pallium, mi Pater, & huius pecuniæ partem defer, ego reliquum perferam.* Atque eo dicto factoque taciti domum remeant. Ubi in conclave Augustini venere, scedulam extrahit, atque Augustino præbens, *Ex hac, ait defunctus, cui, & quanta pecunia restituenda sit, aliisque ad levamen meum spectantia discite, reliquum pecuniæ vult Deus tuo arbitrio distribui:* actum evanuit. Porro rem totam cum Præsidi aperuisset Augustinus, ac deinde mandata explester, rediit post octiduum defunctus, actisq̃ue gratiis, istius beneficii gratam æternamq̃ue memoriam adpromisit. Nierenbergius in viris istius

tha de Cruce, Seraphici Ordinis Tertiaria. *debitum*
Ad hanc, quippe pietate in defunctos cele- *sum in-*
brem, venit mater adolescentis nobilis, *dicat.*
militiæ mortui, cùm sacris Ecclesiæ myste-
riis esset communitus, eumq̃ue Agathæ ve-
hementer commendavit. Illa igitur in
preces se dare, voluntarias pœnas suscipere,
denique libertatem adolescentis seriò cu-
rare. Dum hæc fiunt, nocte quadam pre-
cibus pro eo fundendis intentæ se obijcit
adolescens, eumq̃ue se esse asserit, pro quo
oraret, & cùm tantâ charitate sit, petere
se ut matri suæ hæc significaret. Primum,
detineri in carcere Purgatorio: Alterum,
ephæbum quemdam sua causâ in prælio
interemptum eodem claudi: Tertium, de-
bere se adhuc his & illis certum pecuniæ
numerum. Quartum, preces, ac sacrifi-
cia, stipemq̃ue pro utrisque exaugenda ef-
se. Nihil horum non gnaviter explevit
Agatha. Actum demum defunctus gloria
inclutus ei se videndum præbens gratias
quàm potuit maximas rependit. Joannes
de Rechac, in vita eiusdem Agathæ.

912.
Defunctus

Anno 1620. ad Superos migravit B. Aga-

C A P V T Q V A R T V M.

Quantum piis manibus proficit oratio.

Hoc est præcipuum, & libri huius, & totius ferme tractatus, caput, discutere, quæ sit, orationis virtus ad levamen piorum manium, Quam quidem antea tetigimus: sed impræsentiarum, quia proprius locus est, latius explicare habemus, ut celeberrimum hoc suffragiorum genus pro dignitate, ac varietate sua pertractetur. Si quidem ad orationem vel spectant, vel referuntur sacrificia, Synaxes quæ consuetæ, quæ proprio nomine Generales, preces item simplices seu publicæ, seu privatae, nec non sacræ peregrinationes, sodalitates, & eiusmodi: quæ omnia hoc capite Deo bene fortunante concludemus. De quibus quia rectè sine eiusdem Numinis ope disserere non valemus, principio illud oramus, ut de oratione pro defunctis sumendâ opportunè ad motum animorum, solatiumque piorum manium disputemus.

ARTICULUS I.

Differitur generatim de orationis ad opem defunctis ferendam efficacitate.

§. I.

Theologorum super ea sensus.

DUPLICEM orationi virtutem tribuunt Theologi. Prior est impetrandi, quod petit: posterior satisfaciendi. Prior ei competit ex ipsius naturâ; quæ enim petitio est, ad obtinendum, quod postulatur apta est, cùm deceat eum, à quo quid postulatur, nisi quo avaritiæ, aut asperitatis vitio laboret, id quod postulatur concedere. Huc accedit Christi promissio, non paucis, quæ missa facio, locis, quæ securam voti sui reddit orationem, si modo condi-

913.
Impetrandi vii con-
venit ora-
tioni.

conditionibus necessariis instructa sit; cum promissioni divinæ nulla fraus, aut error subesse possit.

914.
Propriè.

Est autem hæc impetrandi facultas ita propria orationi, ut aliis virtutum operibus non conveniat, nisi quatenus eam habent sibi conjunctam. Quod igitur Sancti Patres pronunciant, eleemosyna ac jeiunio tanquam alis binis orationem sublevari, id ita intellige, quod hæc disponant hominem, vel ut attentius oret, repressâ scilicet vagandi libertate mentis, quippe per auxilia gratiæ, quæ ipsa promerentur: vel ut facilius exaudiat, nempe ob gratiam sanctificantem piis operibus cumulatam. De quo vide Suarium de oratione l. 1. c. 4.

915.
Quid oratio impetret defunctis.

Porro quæ pro piis manibus oratio habetur, impetrat primum, ut Cœlites pro iis Deum precentur, tum ut mortalium satisfactiones iisdem destinatæ à Deo admittantur, si quidem, quod postmodum videbimus, possunt pro illis non admitti, quibus sigillatim destinatæ sunt. Deinde obtinet, ut in mentem pluribus veniat, sitque cordi iisdem Numen quâ precibus, quâ piis operibus propitium reddere. Ad hæc impetrare eadem potest, ut piorum manuum libertas acceleretur, eâ saltem lege, ut diurnitas pœnarum intensione compensetur. Addit Suarius dubitanter, in orationis quoque potestate positum esse obtinere, ut Calitum satisfactiones iis reliquæ, nequedum ulli applicatæ, illis, quos commendamus, nominatim applicentur. Quæ sententia pia quidem est, graves tamen parit difficultates. Inter cæteras istam, quod si liceret satisfactiones, quæ mihi superfluæ fuerunt, postmodum mihi met ipsi, vel alteri applicare, liceret certè iam satisfacere pro culpis futuris; quod absurdum est, cum satisfactio debitum pœnæ, atque adeo culpam supponat. Cæterum vel ex his satis patet, non sine piorum manuum iniuriâ destinari aliis fructum impetrationis, quando totus vel Missæ, vel precum, vel piorum operum fructus iis debetur: Cum id aliud non sit, quàm *rapinam facere in holocausto*.

916.
An remissio pœnæ proximè impetretur.

Maximè si pœnarum lustralium remissio proximè impetrari possit, quod quidem non semel, nec cum paucis asseruimus: tamen negat Suarius. Nam per se expedit, ait, ut delicta non maneant impunita; atque opera Dei illustriora sunt, quod exactius in eis iustitia & misericordia servantur; magis autem servatur iustitia, si hæc remissio semper fiat per modum solutionis. Et in hoc etiam magis relucet misericordia, quod auxiliium detur ad solutionem per se, vel per alios faciendam: & maximè, quan-

do fit per alios, non solum fit beneficium, & misericordia iis, pro quibus solutio fit, sed etiam iis, qui ad eam exhibendam excitantur, nam & ipsi proficiunt, & alios iuvant. Atque hoc modo quæ pro defunctis fit, exauditur. Hactenus ille de Purg. disp. 48. sect. 5.

Sed respondetur, neque tum, cum pœnæ remissio proximè impetratur, delicta manere impunita; quandoquidem pro pœnâ iis debita satisfactiones Christi applicentur: quemadmodum per sacramenta, aut sacrificia: in quo ipso iustitiæ divinæ fit satisfactio. Et ipsa quoque misericordia in tali remissione magis relucet, quia & ad eiusmodi impetrationem auxilium cœlestis ipsa confert, & gratis donat pœnarum piis manibus solvendarum veniam, & orationis velut vehiculo orantes promovet ad Christianam perfectionem. His adde varias rationes alibi per occasionem sparsas. Cum enim ab homine veniam pœnæ proximè impetrare possimus, cur non à Deo? Certè confessarius confidenti imponere potest orationem pro defunctis, reservata ipsi suæ orationis satisfactione, unde continuo intelligitur solum impetrationis fructum ad defunctos pervenire, eosque levare. Denique rogat Ecclesia *clementiam divinam, ut intercedente Beata Virgine cum omnibus Sanctis, propinquos, ac fratres nostros qui ex hoc sæculo transferunt ad æternam beatitudinis consortium pervenire concedat*. Igitur illorum precibus, atque adeo impetratione sola purgantem pœnæ levare possunt, & cœlum mortuis obtineri. Id enim proximè ac disertè petit Ecclesia: non verò ut illarum virtute precum ad levamen eorum mortales excitentur.

Verum tamen certius est, magisque receptum, orationem virtute satisfaciendi cæteris communi non parum pios manes sublevare. Etenim imprimis fide divinâ certum est, illam ut meriti, ita & satisfactionis efficacem esse. Et ratio prioris est, quod actio sit ex naturâ suâ honesta, atque ex fide procedat: posterioris autem, quod insuper difficultatem aliquam sibi adjunctam habeat. Nam mentalis quidem oratio, quæ in mentis ad cœlestia ascensu sita est, non sine labore stare potest, quippe quod mens ad ima ac sensibilia suo pte nutu semper feratur: Vocalis autem addit mentali verborum pronunciationem, quæ labori ac defatigationi conjuncta est. Quare meritò Tridentinum sess. 14 cap. 13. & unâ Theologi, inter opera satisfactoria orationem recēsent. Meritò Chryostomus Hom. 6. de incomprehensibili Dei natura, Nec, inquit, si casus specietes humanos, tollere vires possunt

917.
Affirma-
tur.

918.
Oratio sua
suscipit.

possunt orationis, quando & ipsam peccatorum naturam extinguunt, & compendio excidunt, ac delent. Merito quoque Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, de quotidianis autem brevibus, levibusque peccatis, inquit, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere. Pater noster, qui es in cælis: qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu Sancto. Delet omnino oratio minima, & quotidiana peccata, delet illa, à quibus vita fidelium sceleratè etiam gesta, sed penitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur: dimitte nobis debita nostra, quoniam non desunt, quæ dimittantur: ita veraciter dicatur, sicut & nos dimittimus debitoribus, id est, si fiat quod dicitur. Ita præclare Augustinus.

919.
Maximè
inter om-
nia Suarior
refte.

Quin etiam Suarius innuit inter opera satisfactionis potentia primas obtinere oratione. Sic enim habet l. r. de oratione c. 22. Solent satisfactoria opera ad tria principaliora opera revocari, inter quæ unum, fortasse potissimum, est oratio. Neque vir eximium hujus pronuntiati sui reddit rationem; quamvis haud scio, an ab aliis hac in parte sit probandus, cum cæteris patibus illud opus præstet virtute satisfaciendi, quod molestius est, & difficile sit sibi persuadere gravibus corporis aut animi suppliciiis sponte susceptis, aut patienter toleratis, ut flagellatione cruentâ, vel remissione non levis injuriæ, aliisque ejusmodi, molestiorem, ac difficiliorem esse. An id igitur forsitan dixit, quod vis satisfaciendi non modò ab operis difficultate, sed & maximè à susceptione illius, aut laudabili tolerantia petenda sit? Oratio autè quia affectibus animari solet seu amoris divini, seu studii ardentis animarum, seu conformationis humanæ cum divina voluntatis, seu alii ejusmodi, molestias sibi annexas promptius, & sanctius exhaustire nata est? Crediderim profectò; nec repudiandam censuerim hanc alteram causam, quod eadem oratio sacrificium, ac synaxim complectatur, quæ duæ res maximâ pollent satisfaciendi potestate. Quibus adde, si liber, quod asseruimus, cætera quidem opera vim habere satisfaciendi, sed solam; imò neque hanc, nisi quatenus orationi seu piæ intentioni conjuncta sunt; orationem verò ornari in super potestate pœnarum veniam impetrandi, atque hoc respectu inter opera satisfactoria excellere. Ex quibus clarè conficies ad mitigandos expiatorios ignes oratione efficacissimam esse, ac pròinde frequenter & copiosè adhibendam.

§. 2.

Res hæc ex litteris sacris, & SS. Patrum sententiis illustratur.

VERUM enim verò facultas hæc ex divinis, ac SS. Patrum sententiis de more explananda est. Quid igitur sacræ paginæ? Imprimis Spiritus Sanctus orationis mercedem appellat pacem. Creavi, inquit, Isaïæ 57. fructum labiorum, pacem. Quis enim ille fructus labiorum? nempe fructus precum, quæ labiis pronuciari solent. At quæ pax inquilinis Purgatorii parari potest, aut quæ ratione à Deo alieni sunt, qui eidem amore conjunctissimi? Vis cognoscere? Audi aliquem ex illis Jobi c. 7. sic Numini inclamantem: Quare posuisti me contrarium tibi? id est inquit Pineda, cum ardentè petam peccati veniam, cur manvis assiduas mecum exercere inimicitias, & tamquam cum perpetuo hoste agere? ubi observa pro contrario posse reddi ex Hebræo, oppositum, in quem scilicet sagittas, jaculæque contorquemus: quasi dicatur, quorsum me tibi è regione propositum habes, quem jaculis tuis configis? Et factus sum mihi met ipsi gravis, id est, propterea namque esse, & vivere, molestissimum mihi est, quod tamquam à te alienus hinc exercear. Audi & illum ore Jeremiæ eodem propè modo gementem Thren. 3. Tene dit, inquit, arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam, misit in venibus meis filias pharetra, & paulo post: Repulsa est à pace anima mea, oblitus sum bonorum. Nonne jam intelligis procul à pace abesse, quæ Deus sic accipit, quasi in eum unum velut in scopum, iracundiæ suæ sagittas omnes intendat? tantis illum configit doloribus! Ergo oratio piorum hanc piis manibus optatissimam pacem parit, ut velut filii habeantur, ut Patris æterni conspectu partiantur, & velut hæredes regno cælesti fruantur. Et id videtur innuere Scriptura loco statim laudato, addit enim Deus, se creasse pacem ei, qui longè est, & qui prope. Quis enim prope, nisi qui Deo per orationem & familiaritatem propinquat? Quis longè, nisi pii manes, qui procul à nobis remoti sunt, & à Deo tamquam divulsi, & alieni? sed pax orantis alia est, alia illorum: illa bello mixta, quia nempe pax adhuc militantis, ac peregrinantis, atque aded non liquida, non omnino ab omni periculo sincera; cum pax fidelium Deo animarum, dum parata est, tutissima sit, ac æterna.

920.
Oratio pacem defunctorum creat.

Pp

Alterum

921. Alterum ex iisdem Sacris litteris elo-
gium orationis petitur ab eius cum odora-
mento similitudine. Ita Joannes Apoca-
lyp. 5. *Cum Agnus*, inquit, *aperuisset li-*
brum, quatuor animalia, & viginti qua-
tuor seniores, ceciderunt coram Agno, ha-
bentes singuli citharas, & phialas aureas
plenas odoramentorum, quæ sunt orationes
Sanctorum. Cætera prætereo, & observo
Joannem hic alludere ad phialas, quibus in
Salomonis templo thymiama solebat of-
ferri. Porrò thymiama quatuor ex odo-
ramentis componebatur, galbano, stacte,
onyche, & thure. Et galbanum quidem
inter reliquas virtutes difficultatem spiran-
di pellit: Stacte flos, seu lacryma est myr-
ræ: Onyx ostreola est formâ similis un-
gui, & odore, nardo. Thus notum est odo-
re, & ascensu. Quare rectè thymiamati
orationem æquipares, quia & galbani instar
aspirandi ad Deum facultatem confert, &
myrrha in modum noxarum fetorem abig-
git, & tamquam onyx, ac nardus odore suo,
ac humilitate Deo acceptissima est, ac de-
nique gratissimum more thuris, ab igne
charitatis fumum sursum ad astra emittit.
Cum igitur pro defunctis oratio funditur,
nimirum thymiama Numini adoletur,
quod iis spirandi, sperandique vim imper-
tit, & graveolentiam peccatorum discutit,
omnesque eorum reliquias delet, & suavi
odore Deum recreat, unaque omnes Pur-
gatorii incolas, qui vel ob unius orationem
pro uno è piis manibus fufam aliquid sola-
tii accipiunt, ac demum piorum manium
vota ad Deum provehit, perficitque ut im-
pleantur. Addamus & hanc similitudi-
nem, quod quemadmodum ignis, quo
thymiama in Sancto incendebatur, defer-
ri solebat ex altari holocaustorum, quod
erat in attio templi, sic ignem quo nostrum
thymiama, sive oratio incenditur, ex corde
de sese in holocaustum pro piis manibus
devovente desumi. O expetitur Purga-
torio odoramentum; ô quis phialas eople-
nas in illud effundat: nullum illo, vel Deo
gratius, vel Purgatorio salubrius atque
acceptius esse potest.

922. Confert aliàs Spiritus Sanctus orationem
cum aqua non uno in loco. Audi Moysen
eo afflatum. Sic ille Deuter. 32. *Audite*
cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris
mei, concresecat ut pluvia doctrina mea;
fluat ut ros eloquium meum, quasi imber su-
per herbam, & quasi stillæ super gramina,
quia nomen Domini invocabo. Ubi vides
ab ipso pluribus synonymis idem voveri, ut
oratio sua seu Domini invocatio, suæ ad
populum Hebræorum parænesi præmit-
tenda, instar aquæ sit, id est, grata Deo, &

auditoribus utilis evadat. Et Propheta Re-
gius, *Effundo*, inquit, *in conspectu eius ora-*
tionem meam, & tribulationem meam an-
te ipsum pronuncio. Psal. 141. Quin & ipse
Deus Zachariæ 12. *Effundam*, ait, *spiri-*
tum gratiæ, & precum. fundi autem & ef-
fundi proprium est liquoris, & aquæ, ut in-
telligas spiritum precum, seu studium ora-
tionis divinitus mentibus inditum, aquæ
esse consimile.

At quomodo istud, cum aqua frigida,
fluxaque sit, oratio autem fervens, con-
flansque esse debeat? nimirum oratio no-
stra quatenus à nobis funditur, frigida est,
& instabilis, & facillimè, ut aqua, dispergi-
tur, mente pariter dissipatâ. At ubi divi-
no calore incenditur, prorsus est alia. Ut
igitur aqua solis ardore penetrata in vapo-
rem abit, sursumque fertur; sic oratio
quam sol divinus igne suo inflammat, us-
que ad cæli penetralia, summi que Numinis
thronum se attollit. Ut aqua ex alto quò
se extulit, in agros defluens, eos fecun-
dat; ita oratio ad orantem cum multiplici
fructu redit, eumque gratiâ divinâ per-
fundit. Ut aqua, quò altius ascendit, eò
magis in deflexu frangitur, ac tenuiore
pluvia terram subiens ab ea facilius atque
aptius ad fertilitatem imbibitur: sic oratio,
quò altius se provexit, eò majori cum fœ-
nore ad animum precantis redit. Ut aqua
semper ad declivia prona est, nec nisi vi su-
periore loco attinetur, sic oratio ad humi-
lia mentem sanctè abjicit, imò & ad humi-
les ac miseros deprimat, nec potest pio-
rum manium infra jacentium oblivisci. Ut
aqua in imò tandem quiescit: sic oratio in
Purgatorio, ubi summam omnium mise-
riam deprehendit, acquiescit. Denique
ut aquæ maximè proprium est igni adver-
sari; sic orationis iram Dei ignemque lu-
stralem vel extinguere, vel mitigare. Ad
extremum ut ex aquis Deus volucres pro-
duxit, uti testatur sacer historicus Gen. 1.
Producant aquæ reptile animæ viventis, ac
volatile super terram sub firmamento cæli;
sic orationis aqua, pios manes volucres ef-
ficat, ut evolare è cavea sua in cælum pos-
sint, & in Deo, nido suo, quiescere.

Fundite igitur & effundite ejusmodi
aquam ô Purgatorii patróni, ac mæcenates,
& illud perpluite, eò maximè, quòd eam
alius liquor sequitur, ad extinguendas
atroces illas flammæ aptissimus, nempe
sanguis Christi. Quemadmodum enim
ex ipsius latere exiit sanguis, & aqua,
quibus ira Dei extincta, & mundus ablutus
est; ita orationis aquam sanguis Christi
comitatur, eique vim confert mitigandi
iram Numinis, & simul animas abluendi.

Præterea

923.
In quibus
sit simili-
tudo.

924.
Eam aquam
sanguis
Christi se-
quitur.

925. *Oratio sacrificium.* Præterea sacri codices orationem pluribus locis vocant sacrificium. Unicus mihi sufficiat, unde simul ejus sacrificii virtutem, adversus ignem purgantem colligere possimus. Audiamus itaque tres illos celebratissimos pueros à Nabuchodonosore in fornacem Babylonis coniectos. Sic illi. *Sicut in holocausto arietum, & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quoniam non est confusio confidentibus in te Dan. 3.* nec enim ambigi potest, quin sacrificii nomine oratio illic accipitur, cum proximè superius hæc pueri illi dixerint, *Non est in tempore hoc Princeps, & Dux, & Propheta, & holocaustum; neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam; sed in animo contrito, & humiliato suscipiamur.*

926. *Ejus fructus.* Ita illi: atque ecce sacrificii illius fructum. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & sociis eius, in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* O vim opportunam, ac potentissimam orationis! O repentinum atque eximium sacrificii nostri fructum?

927. *In defunctorum.* Est enim optandum potius, quam sperandum sit, ut præcibus nostris retineatur ignis, ne omnino animas, pro quibus oramus, tangat, quia præces nostræ trium illorum præcibus non possunt æquiparari: tamen eum certo certius mitigare possunt, nam & Angelus nobis præsto est, qui cum piis manibus Purgatorii fornacem intret, & extinguat flammam ignis, & rocidum ventum in eam inducat, saltem ad aliquod levamen. Angelus enim custos vel noster, vel animæ, pro qua precamur, qui certè orationes nostras primum Deo offeret, commendabitque, tum animæ illi fufas renuntiabit, simulque cum ea Deum pro supplicii levamine celebrabit, dicetque cum pueris istis, *Benedicite omnes religiosi Domini Deo Deorum, laudate & confitemini illi, quia in omni sæculo misericordia eius.*

928. *Probarur.* Et verò si S. Franciscus Assisias, cum ad avertendam oculorum distillationem, ac cæcitatem, cauterio inurendus esset, & propterea natura inhotresceret, sensum ignis hæc præcè à se repulit, *Mi frater ignis, esto mihi hæc hora propitius, precor magnum Deum, qui te creavit ut tuum calorem mihi temperet, quo suaviter urentem valeam sustinere.* Si S. Victor egregius sub Maximiano Christi athleta cum Mediolani bul-

liente plumbo toto corpore perfunderetur, hac oratione fusà, *Domine JESU CHRISTE, propter cuius nomen hæc patior, adiuva, & libera me, sicut liberaisti tres pueros immaculatos de camino ignis, & confudisti tyrannum, ut nunc quoque erubescat Maximianus cum satellitibus suis, illicò plumbum velut aquam de fonte manantem sine ulla corporis adustione sensit: Si denique oratio Theclas, Agnetes, aliasque, & alios plurimos Martyres ab igne vindicavit, quid est, cur purgantes flammæ oratio non temperaret? Etsi enim pii manes debitas culpis suis pœnas ab iis patiantur, vim tamen eas deprecandi, amoliendique, orationi tribui, & ad gloriam Numinis confert, & ad promissionis Christi veritatem. Hæc enim est ejus ore expressa promissio. *Quid quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* nec potest non in nomine Christi peti, quod piis manibus petitur, ut Purgatorio carcere liberi Deum in cælo ferventiùs ament, ac dilaudent: in quo ipso Dei gloria sita est; maximè cum eadem operâ Justitiæ divinæ fiat satis.*

929. *Etiã ex SS. Patribus. Augustino oratio clavis cæli.* A sacris litteris venio ad Sanctos Patres, qui cum earum interpretes sint, non possunt non eadem cum illis sentire. Et Augustini quidem sententia serm. 226. de tempore, clara est. Hæc enim est sat nunc trita ejus oratio; *Oratio iusti clavis est cæli, cæli. ascendit precatio, & descendit Dei miseratione, licet alta sit terra, altum cælum, audit tamen Deus hominis linguam, si mundam habeat conscientiam.* Qui Sancti Doctoris locus ex allato Zachariæ loco illustrior evadet; nam ubi legimus, *Effundam super populum meum spiritum gratia, & precum,* Septuaginta Interpretes sic legunt, *Spiritum gratia, & misericordia.* Itaque illo authore oratio & misericordiæ conciliatrix est, & cæli clavis: ac Regia quidem, quippe quam nullus obex, nulla fera potest fallere. Quocirca si piis manibus velut in manus tradatur, cælum sibi eâ pandent: neque Justitia divina illi poterit obistere.

930. *S. Chrysostomus.* Jam Chrysostomus eandem orationem solem esse pronuntiat. Sic enim ipse lib. 1. de orando Deo. *Quemadmodum sol lucem præbet corpori: sic anima lumen est precatio.* Quare sicut nitens ac politum speculum lumen sibi affusum non modò in se quasi concipit, sed procul etiam emittit: Sic precantis anima divini solis radiis perfusa eos, dum libet, longè in purgantia spelæa projicit, illaque vehementer illuminat: adèd ut nullus eorum angulus utcumque tenebris obfusus, latitiâ pariter, ac luce illa divinâ non aspergatur. Et quemadmodum D. Petro Apostolorum Principi, Paulo

item, aliisque plurimis Martyribus simul cum luce cœlesti carcerem illustrante, resoluti sunt compedes, dissoluta manica, & custodia referata est: sic precum luce in lustrante ergastulo promicante animarum vincula religantur.

931. Denique idem oris aurci Orator. lib. 2. de orando Deo: *Siquis*, ait, *dicat anima nervos esse deprecationem, meâ quidem sententiâ, videbitur verum dicere.* Et paulò post alia similitudine usus, *Vi piscis*, ait, *vita est aqua, ita tibi deprecatio.* Per hanc datur ex aquis subvolare, cœlumque transcendere. Ita ipse. Qui igitur iis orationis nervis pios manes instruxerit: qui genus hoc vitæ iisdem inspirarit, illic languorem iis ademerit, & ad capeſſendam tenendamque cœli viam vigorem impresserit.

932. Author quoque Serm. ad Fratres de Eremo. ferm. 22. *Valde servit Dei, & solitarius*, inquit, *est necessaria oratio ipsa, per quam Deus placatur, per quam Deus ad nos inclinatur.* Adoraverat enim populus Judaicus vitulum conſtatilem, & ait Dominus Moysi, *dimitte, ut irascatur furor meus contra eos, cui Moyses, Quæſo, O Domine, quiescat ira tua, & esto placabilis super malitiam populi tui.* Et ecce placatus est Dominus, & paulò post. *Ecce enim*, ait, *Hieremias confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in sterquilinio nudus triumphat, paradysum de cruce latro invenit. Susanna inter senes defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur: & inter lapidantes pro Saulo exauditur.* Laurentius verò Justinianus de orat. c. 2. discretissimè, *Hæc*, ait, *nempe oratio, Deum mitigat, & velut quoddam scutum ab ira eius protegit.* Denique longus sim, si alia ejus generis testimonia congerere velim.

933. Unicum hic addo, eâ quidem quæ de omni oratione universim dixere illi fidei nostræ parentes, propriè illi preci competere, quæ pro piis manibus concipitur. At hæc nominatim. Primum, velut alteros Jeremias in lacum missos mortalium precibus sublevati. Ut enim Eunuchus ille Æthiops Sedeciam Regem pro vate illo rogaverat, ut inde extraheretur; ita defunctorum Amator Deum eâdem causâ efflagitat, non impari successu, eosque extrahit. Ut Daniel inter leones fame rabidos constitutus, liber, atque integer substitit; tumque Darii studio ac benevolentia è lacu educus est; ita pii manes viventium precibus inferorum leonum furorem evadunt, atque ab ipsis velut à Dariis quibusdam ex cavâ educuntur. Ut tres pueri, quod proximè superius dicebamus, oratio-

nis vim adversus virtutem ignis illæsi senserunt; ita & pii manes sentiunt. Ut Jobus in sterquilinio patientiâ invictâ perstitit, & propter antiquas ac præſentes preces, inter horrendas cruces spe sua recreatus est: ita & iidem illi pii manes recreantur. Ut denique latro brevi prece Christi benevolentiam, ac paradysum, Susanna Danielis patrociniû impetravit; Stephanus Saulo veniam ac conversionem obtinuit; ita pii manibus, non longâ oratione Christi benevolentia, ac patrociniû, venia item noxarum, ac paradysus comparatur. Id quod agnosceus S. Ephrem dum animam suam fratribus suis in testamento à se scripto commendat, *Comitamini me*, ait, *in psalmis, & orationibus, & assidue pro meâ parvitate orationes facere dignemini, & quando diem trigesimum complevero, mei memoriam faciatis, mortui enim in precationibus, atque oblationibus, commemoratio- nis sanctorum viventium beneficio afficiuntur.*

ARTICULUS II.

De sacrificii virtute Deum piis manibus placandi.

§ I.

Declaratur.

DE eâ scripsi fusè l. 2. de Sacramento 934. Amoris, quando de sacrificio, & hoc De illa tractatu sparſim aliqua pro re natâ protuli, quædam nec est animus actum agere; tantum hic vel positiones addo, vel in memoriam nonnulla revoco Theologica. huic tractatui necessaria. Primum inter Theologos in confessio esse, penam temporalem hujus sacrificii virtute proximè remitti, idque Apostolicâ traditione in Ecclesia constare. Alterum, inter omnia, quæ ad satisfactionem conferre possunt, sacrificium maximè valere; id quod discretè Tridentina Synodus tradidit sess. 25. cum asserit *Purgatorium esse, animasque ibi detentatas fidelium suffragiis, potissimum verò acceptabili altaris sacrificio iuvari.* Tertium, hujus sacrificii præcipuum fructum, esse satisfactionis. Quemadmodum enim sacrificio, Crucis maximè, indita fuit vis satisfaciendi pro penâ peccatis nostris debita; ita sacrificium hoc incruentum, quod cruenti viva quædam imago est, propriè ac directè institutum est ad fructum satisfactionis ex opere operato nobis applicandum,